

PRUDENCE

CATHEMERINON (1790 vers)

PRAEFATIO

C1 v.1 Per quinquennia jam decem,
 2 ni fallor, fuimus ; septimus insuper
 3 annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
 4 Instat terminus, et diem
 5 vicinum senio jam Deus applicat :
 6 quid nos utile tanti spatio temporis egimus ?
 7 Aetas prima crepantibus
 8 flevit sub ferulis ; mox docuit toga
 9 infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.
 10 Tum lasciva protervitas,
 11 et luxus petulans (heu pudet ac piget !)
 12 foedavit juvenem nequitiae sordibus ac luto.
 13 Exim jurgia turbidos
 14 armarunt animos, et male pertinax
 15 vincendi studium subjacuit casibus asperis.
 16 Bis legum moderamine
 17 frenos nobilium reximus urbium
 18 jus civile bonis reddidimus, terruimus reos.
 19 Tandem militiae gradu
 20 evectum pietas principis extulit,
 21 adsumptum propius stare jubens ordine proximo.
 22 Haec dum vita volans agit,
 23 inrepsit subito canities seni,
 24 oblitum veteris me Saliae consulis arguens,
 25 sub quo prima dies mihi.
 26 Quam multas hiemes voverit et rosas
 27 pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
 28 Numquid talia proderunt
 29 carnis post obitum vel bona vel mala,
 30 cum jam, quidquid id est, quod fueram, mors aboleverit ?
 31 Dicendum mihi : "Quisquis es,
 32 mundum, quem coluit, mens tua perdidit ;
 33 non sunt illa Dei, quae studuit, cujus habebis."
 34 Atqui fine sub ultimo
 35 peccatrix anima stultitiam exuat ;
 36 saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
 37 Hymnis continuet dies,
 38 nec nox ulla vacet, quin Dominum canat ;
 39 pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem ;
 40 conculcet sacra gentium,
 41 labem, Roma, tuis inferat idolis ;
 42 carmen martyribus devoveat, laudet apostolos.
 43 Haec dum scribo vel eloquor,
 44 vinclis o utinam corporis emicem
 45 liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo !

HYMNUS AD GALLI CANTUM

C1B v.1 Ales diei nuntius
 2 lucem propinquam praecinit ;
 3 nos excitator mentium
 4 jam Christus ad vitam vocat.
 5 "Auferte", clamat, "lectulos,
 6 aegros, soporos, desides ;
 7 castique, recti, ac sobrii
 8 vigilate, jam sum proximus !"
 9 Post solis ortum fulgidi
 10 Serum est cubile spernere,
 11 ni parte noctis addita
 12 tempus labori adjeceris.
 13 Vox ista, qua strepunt aves
 14 stantes sub ipso culmine
 15 paulo ante quam lux emicet,
 16 nostri figura est judicis.
 17 Tectos tenebris horridis
 18 stratisque opertos segnibus
 19 suadet quietem linquere
 20 jam jamque venturo die ;
 21 ut, cum coruscis flatibus
 22 aurora caelum sparserit,
 23 omnes labore exercitos
 24 confirmet ad spem luminis.
 25 Hic somnus ad tempus datus
 26 est forma mortis perpetis :
 27 peccata, ceu nox horrida,
 28 cogunt jacere ac stertere ;
 29 sed vox ab alto culmine
 30 Christi docentis praemonet
 31 adesse jam lucem prope,
 32 ne mens sopori serviat,
 33 ne somnus usque ad terminos
 34 vitae socordis opprimat
 35 pectus sepultum crimine
 36 et lucis oblitum suae.
 37 Ferunt vagantes daemonas,
 38 laetos tenebris noctium,
 39 gallo canente exterritos
 40 sparsim timere et cedere.
 41 Invisa nam vicinitas
 42 lucis, salutis, numinis,
 43 rupto tenebrarum situ
 44 noctis fugat satellites.
 45 Hoc esse signum praescii
 46 norunt repromissae spei,
 47 qua nos soporis liberi
 48 speramus adventum Dei.
 49 Quae vis sit hujus alitis,
 50 salvator ostendit Petro,
 51 ter, ante quam gallus canat,
 52 sese negandum praedicans.
 53 Fit namque peccatum prius
 54 quam praeco lucis proximae
 55 inlustret humanum genus
 56 finemque peccandi ferat.

57 Flevit negator denique
 58 ex ore prolapsum nefas,
 59 cum mens maneret innocens
 60 animusque servaret fidem.
 61 Nec tale quidquam postea
 62 linguae locutus lubrico est,
 63 cantuque galli cognito
 64 peccare justus destitit.
 65 Inde est, quod omnes credimus
 66 illo quietis tempore,
 67 quo gallus exsultans canit,
 68 Christum redisse ex Inferis.
 69 Tunc mortis oppressus vigor,
 70 tunc lex subacta est Tartari,
 71 tunc vis diei fortior
 72 noctem coegit cedere.
 73 Jam jam quiescant improba,
 74 jam culpa furva obdormiat,
 75 jam noxa letalis suum
 76 perpessa somnum marceat.
 77 Vigil vicissim spiritus,
 78 quodcumque restat temporis
 79 dum meta noctis clauditur,
 80 stans ac laborans excubet.
 81 Jesum ciamus vocibus
 82 flentes, precantes, sobrii ;
 83 intenta supplicatio
 84 dormire cor mundum vetat.
 85 Sat convolutis artubus
 86 sensum profunda oblivio
 87 pressit, gravavit, obruit,
 88 vanis vagantem somniis.
 89 Sunt nempe falsa et frivola,
 90 quae mundiali gloria
 91 ceu dormientes egimus :
 92 vigilemus, hic est veritas.
 93 Aurum, voluptas, gaudium,
 94 opes, honores, prospera,
 95 quaecumque nos inflant mala :
 96 fit mane, nil sunt omnia.
 97 Tu, Christe, somnum disjice,
 98 tu rumpe noctis vincula,
 99 tu solve peccatum vetus
 100 novumque lumeningere !

HYMNUS MATUTINUS

C2 v.1 Nox et tenebrae et nubila,
 2 confusa mundi et turbida,
 3 lux intrat, albescit polus :
 4 Christus venit, discedite !
 5 Caligo terrae scinditur,
 6 percussa solis spiculo,
 7 rebusque jam color redit
 8 vultu nitentis sideris.
 9 Sic nostra mox obscuritas
 10 fraudisque pectus conscium,

11 ruptis reiectum nubibus,
12 regnante pallescet Deo.
13 Tunc non licebit claudere
14 quod quisque fuscum cogitat,
15 sed mane clarescent novo
16 secreta mentis prodita.
17 Fur ante lucem squalido
18 impune peccat tempore,
19 sed lux dolis contraria
20 latere furtum non sinit.
21 Versuta fraus et callida
22 amat tenebris obtegi,
23 aptamque noctem turpibus
24 adulter occultus fovet.
25 Sol ecce surgit igneus :
26 piget, pudescit, paenitet,
27 nec teste quisquam lumine
28 peccare constanter potest.
29 Quis mane sumptis nequiter
30 non erubescit poculis,
31 cum fit libido temperans,
32 castumque nugator sapit ?
33 Nunc, nunc severum vivitur,
34 nunc nemo tentat ludicrum,
35 inepta nunc omnes sua
36 vultu colorant serio.
37 Haec hora cunctis utilis,
38 qua quisque, quod studet, gerat :
39 miles, togatus, navita,
40 opifex, arator, institor.
41 Illum forensis gloria,
42 hunc triste raptat classicum,
43 mercator hinc ac rusticus
44 avara suspirant lucra ;
45 at nos lucelli ac faenoris
46 fandique prorsus nescii
47 nec arte fortes bellica,
48 te, Christe, solum novimus.
49 Te mente pura et simplici,
50 te voce, te cantu pio
51 rogare curvato genu
52 flendo et canendo discimus.
53 His non lucramur quaestibus,
54 hac arte tantum vivimus,
55 haec inchoamus munera,
56 cum sol resurgens emicat.
57 Intende nostris sensibus,
58 vitamque totam dispice ;
59 sunt multa fucis inlita,
60 quae luce purgentur tua.
61 Durare nos tales jube,
62 quales remotis sordibus
63 nitere pridem jusseras
64 Jordane tinctos flumine.
65 Quodcumque nox mundi dehinc
66 infecit atris nubibus,
67 tu, rex Eoi sideris,
68 vultu sereno inlumina,

69 tu, sancte, qui taetram picem
 70 candore tinguis lacteo,
 71 ebenoque crystallum facis,
 72 delicta tergens livida !
 73 Sub nocte Jacob caerula,
 74 luctator audax angeli,
 75 eo usque dum lux surgeret,
 76 sudavit impar proelium ;
 77 sed cum jubar claresceret,
 78 lapsante claudus poplite
 79 femurque victus debile,
 80 culpaе vigorem perdidit.
 81 Nutabat inguen saucium,
 82 quae corporis pars vilior
 83 longequе sub cordis loco
 84 diram fovet libidinem.
 85 Hae nos docent imagines
 86 hominem tenebris obsitum,
 87 si forte non cedat Deo,
 88 vires rebelles perdere.
 89 Erit tamen beatior,
 90 intemperans membrum cui
 91 luctando claudum et tabidum
 92 dies oborta invenerit.
 93 Tandem facessat caecitas,
 94 quae nosmet in praeceps diu
 95 lapsos sinistris gressibus
 96 errore traxit devio.
 97 Haec lux serenum conferat
 98 purosque nos praestet sibi ;
 99 nihil loquamur subdolum,
 100 volvamus obscurum nihil.
 101 Sic tota decurrat dies,
 102 ne lingua mendax, ne manus
 103 oculive peccent lubrici,
 104 ne noxa corpus inquinet.
 105 Speculator adstat desuper,
 106 qui nos diebus omnibus
 107 actusque nostros prospicit
 108 a luce prima in vesperum.
 109 Hic testis, hic est arbiter,
 110 hic intuetur, quidquid est,
 111 humana quod mens concipit,
 112 hunc nemo tallit iudicem.

HYMNUS ANTE CIBUM

C3 v.1 O crucifer bone, lucisator,
 2 omniparens, pie, verbigena,
 3 edite corpore virgineo,
 4 sed prius in genitore potens,
 5 astra, solum, mare quam fierent !
 6 Huc nitido, precor, intuitu
 7 flecte salutiferam faciem,
 8 fronte serenus et inradia,
 9 nominis ut sub honore tui
 10 has epulas liceat capere !

11 Te sine dulce nihil, Domine,
12 nec juvat ore quid adpetere,
13 pocula ni prius atque cibos,
14 Christe, tuus favor imbuerit,
15 omnia sanctificante fide.
16 Fercula nostra Deum sapiant,
17 Christus et influat in pateras ;
18 seria, ludicra, verba, jocos,
19 denique, quod sumus aut agimus,
20 trina superne regat pietas.
21 Hic mihi nulla rosae spolia,
22 nullus aromate flagrat odor,
23 sed liquor influit ambrosius
24 nectareamque fidem redolet,
25 fusus ab usque Patris gremio.
26 Sperne, camena, leves hederas
27 cingere tempora quis solita es,
28 sertaque mystica dactylico
29 texere docta liga strophio
30 laude Dei redimita comas !
31 Quod generosa potest anima,
32 lucis et aetheris indigena,
33 solvere dignius obsequium,
34 quam data munera si recinat,
35 artificem modulata suum ?
36 Ipse homini quia cuncta dedit,
37 quae capimus dominante manu,
38 quae polus aut humus aut pelagus
39 aere, gurgite, rure creant,
40 haec mihi subdidit et sibi me.
41 Callidus inlaqueat volucres
42 aut pedicis dolus aut maculis,
43 inlita glutine corticeo
44 vimina plumigeram seriem
45 impediunt et abire vetant.
46 Ecce per aequora fluctivagos
47 texta greges sinuosa trahunt,
48 piscis item sequitur calamum,
49 raptus acumine vulnifico,
50 credula saucius ora cibo.
51 Fundit opes ager ingenuas
52 dives aristiferae segetis,
53 hic ubi vitea pampineo
54 bracchia palmite luxuriant,
55 pacis alumna ubi baca viret.
56 Haec opulentia christicolis
57 servit et omnia subpeditat ;
58 absit enim procul illa famis,
59 caedibus ut pecudum libeat
60 sanguineas lacerare dapes !
61 Sint fera gentibus indomitae
62 prandia de nece quadrupedum ;
63 nos oleris coma, nos siliqua
64 feta legumine multimodo
65 paverit innocuis epulis.
66 Spumosa mulctra gerunt niveos
67 ubere de gemino latices,
68 perque coagula densa liquor

69 in solidum coit, et fragili
70 lac tenerum premitur calatho.
71 Mella recens mihi Cecropia
72 nectare sudat olente favus ;
73 haec opifex apis aereo
74 rore liquat, tenuique thymo
75 nexilis inscia conubii.
76 Hinc quoque pomiferi nemoris
77 munera mitia proveniunt ;
78 arbor onus tremefacta suum
79 deciduo gravis imbre pluit,
80 puniceosque jacet cumulos.
81 Quae veterum tuba quaeve lyra
82 flatibus inclyta vel fidibus
83 divitis Omnipotentis opus,
84 quaeque fruenda patent homini,
85 laudibus aequiparare queat ?
86 Te, Pater optime, mane novo,
87 solis et orbita cum media est,
88 te quoque luce sub occidua,
89 sumere cum monet hora cibum,
90 nostra, Deus, canet harmonia.
91 Quod calet halitus interior,
92 corde quod abdita vena tremit,
93 pulsat et incita quod resonam
94 lingua sub ore latens caveam,
95 laus superi Patris esto mihi.
96 Nos igitur tua, sancte, manus
97 caespitem composuit madido,
98 effigiem meditata suam,
99 utque foret rata materies,
100 ore animam dedit ex proprio.
101 Tunc per amoena virecta jubet
102 frondicomis habitare locis,
103 ver ubi perpetuum redolet,
104 prataque multicolora latex
105 quadrifluo celer amne rigat.
106 "Haec tibi nunc famulentur", ait ;
107 "usibus omnia dedo tuis ;
108 sed tamen aspera mortifero
109 stipite carpere poma veto,
110 qui medio viret in nemore".
111 Hic draco perfidus indocile
112 virginis inlicit ingenium,
113 ut socium malesuada virum
114 mandere cogeret ex vetitis,
115 ipsa pari peritura modo.
116 Corpora mutua (nosse nefas)
117 post epulas inoperta vident,
118 lubricus error et erubuit ;
119 tegmina suta parant foliis,
120 dedecus ut pudor occuleret.
121 Conscia culpa Deum pavitans
122 sede pia procul exigitur ;
123 innuba femina quae fuerat,
124 conjugis excipit imperium,
125 foedera tristia jussa pati.
126 Auctor et ipse doli coluber

127 plectitur improbus, ut mulier
128 colla trilingua calce terat ;
129 sic coluber muliebri solum
130 suscipit, atque virum mulier.
131 His ducibus vitiosa dehinc
132 posteritas ruit in facinus,
133 dumque rudes imitatur avos,
134 fasque nefasque simul glomerans,
135 in pia crimina morte luit.
136 Ecce venit nova progenies,
137 aethere proditus alter homo,
138 non luteus, velut ille prius,
139 sed Deus ipse gerens hominem
140 corporeisque carens vitiis.
141 Fit caro vivida sermo Patris,
142 numine quam rutilante gravis
143 non thalamo neque jure tori
144 nec genialibus inlecebris
145 intemerata puella parit.
146 Hoc odium vetus illud erat,
147 hoc erat aspidis atque hominis
148 digladiabile discidium,
149 quod modo cernua femineis
150 vipera proteritur pedibus.
151 Edere namque Deum merita
152 omnia virgo venena domat,
153 tractibus anguis inexplicitis
154 virus inerme piger revomit
155 gramine concolor in viridi.
156 Quae feritas modo non trepidat,
157 territa de grege candidulo ?
158 Impavidas lupus inter oves
159 tristis obambulat et rabidum
160 sanguinis inmemor os cohibet.
161 Agnus enim vice mirifica
162 ecce leonibus imperitat,
163 exagitansque truces aquilas
164 per vaga nubila perque Notos
165 sidere lapsa columba fugat.
166 Tu mihi, Christe, columba potens,
167 sanguine pasta cui cedit avis ;
168 tu niveus per ovile tuum
169 agnus hiare lupum prohibes,
170 subjuga tigridis ora premens.
171 Da, locuples Deus, hoc famulis
172 rite precantibus, ut tenui
173 membra cibo recreata levant,
174 neu piger inmodicis dapibus
175 viscera tenta gravet stomachus.
176 Haustus amarus abesto procul,
177 ne libeat tetigisse manu
178 exitiale quid aut vetitum ;
179 gustus et ipse modum teneat,
180 sospitet ut jecur incolume.
181 Sit satis anguibus horrificis,
182 liba quod in pia corporibus
183 a ! miseram peperere necem ;
184 sufficiat semel ob facinus

185 plasma Dei potuisse mori.
 186 Oris opus, vigor igneolus
 187 non moritur, quia, flante Deo
 188 conpositus superoque fluens
 189 de solio Patris artificis,
 190 vim liquidae rationis habet.
 191 Viscera mortua quin etiam
 192 post obitum reparare datur,
 193 eque suis iterum tumulis
 194 prisca renascitur effigies,
 195 pulvereo coeunte situ.
 196 Credo equidem (neque vana fides)
 197 corpora vivere more animae ;
 198 nam modo corporeum memini
 199 de Phlegethonte gradu facili
 200 ad superos remeasse Deum.
 201 Spes eadem mea membra manet,
 202 quae, redolentia funereo
 203 iussa quiescere sarcophago,
 204 dux parili redivivus humo
 205 ignea Christus ad astra vocat.

HYMNUS POST CIBUM

C4 v.1 Pastis visceribus ciboque sumpto,
 2 quem lex corporis inbecilla poscit,
 3 laudem lingua Deo Patri rependat ;
 4 Patri, qui Cherubin, sedile sacrum
 5 nec non et Seraphin suum, supremo
 6 subnixus solio tenet regitque.
 7 Hic est, quem Sabaoth Deum vocamus,
 8 expers principii carensque fine,
 9 rerum conditor et repertor orbis.
 10 Fons vitae liquida fluens ab arce,
 11 infusor fidei, sator pudoris,
 12 mortis perdomitor, salutis auctor,
 13 omnes quod sumus aut vigemus, inde est.
 14 Regnat Spiritus ille sempiternus,
 15 a Christo simul et Parente missus.
 16 Intrat pectora candidus pudica,
 17 quae templi vice consecrata rident,
 18 postquam conbiberint Deum medullis.
 19 Sed si quid vitii dolive nasci
 20 inter viscera jam dicata sensit,
 21 ceu spurcum refugit celer sacellum.
 22 Taetrum flagrat enim vapore crasso
 23 horror conscius aestuante culpa
 24 offensumque bonum niger repellit.
 25 Nec solus pudor innocensve votum
 26 templum constituunt perenne Christo
 27 in cordis medii sinu ac recessu ;
 28 sed, ne crapula ferveat cavendum est,
 29 quae sedem fidei cibis refertam
 30 usque ad congeriem coartet intus.
 31 Parcis victibus expedita corda
 32 infusum melius Deum receptant ;
 33 hic pastus animae est, saporque verus.

34 Sed nos tu gemino fovens paratu
35 artus atque animas utroque pastu
36 confirmas, Pater, ac vigore conples.
37 Sic olim tua praecluens potestas
38 inter raucisonos situm leones
39 inlapsis dapibus virum refovit.
40 Illum fusile numen execrantem
41 et curvare caput sub expolita
42 aeris materia nefas putantem
43 plebs dirae Babylonis ac tyrannus
44 morti subdiderant, feris dicarant
45 saevis protinus haustibus vorandum.
46 O semper pietas fidesque tuta !
47 Lambunt indomiti virum leones
48 intactumque Dei tremunt alumnum.
49 Adstant comminus et jubas reponunt,
50 mansuescit rabies fameque blanda
51 praedam rictibus ambit incruentis.
52 Sed cum tenderet ad superna palmas
53 expertumque sibi Deum rogaret,
54 clausus jugiter indigensque victus,
55 jussus nuntius advolare terris,
56 qui pastum famulo daret probato,
57 raptim desilit obsequente mundo.
58 Cernit forte procul dapes inemptas,
59 quas messoribus Ambacum propheta
60 agresti bonus exhibebat arte.
61 Hujus caesarie manu prehensa
62 plenis, sicut erat, gravem canistris
63 suspensum rapit et vehit per auras.
64 Tum raptus simul ipse prandiumque
65 sensim labitur in lacum leonum
66 et, quas tunc epulas gerebat, offert :
67 "Sumas laetus", ait, "libensque carpas,
68 quae summus Pater angelusque Christi
69 mittunt liba tibi sub hoc periculo."
70 His sumptis Danielus excitavit
71 in caelum faciem ciboque fortis
72 "amen" reddidit, "Alleluia" dixit.
73 Sic nos muneribus tuis refecti,
74 largitor Deus omnium bonorum,
75 grates reddimus et sacramus hymnos.
76 Tu nos tristifico velut tyranno
77 (mundi scilicet inpotentis actu)
78 conclusos regis et feram repellis,
79 quae circumfremat ac vorare temptat,
80 insanos acuens furore dentes,
81 cur te, summe Deus, precemur unum.
82 Vexamur, premimur, malis rotamur ;
83 oderunt, lacerant, trahunt, laccessunt ;
84 juncta est suppliciiis fides iniquis.
85 Nec deficit tamen anxiiis medella ;
86 nam languente trucis leonis ira
87 inlapsae superingeruntur escae.
88 Quas si quis sitienter hauriendo
89 non gustu tenui, sed ore pleno
90 internis velit implicare venis,
91 hic, sancto satiatus ex propheta,

92 justorum capiet cibos virorum
 93 qui fructum Domino metunt perenni.
 94 Nil est dulcius ac magis saporum,
 95 nil quod plus hominem juvare possit,
 96 quam vatis pia praecinentis orsa :
 97 his sumptis licet insolens potestas
 98 pravum judicet inrogetque mortem,
 99 inpasti licet inruant leones,
 100 nos semper Dominum Patrem fatentes
 101 in te, Christe Deus, loquemur unum
 102 constanterque tuam crucem feremus.

HYMNUS AD INCENSUM LUCERNAE

C5 v.1 Inventor rutili, dux bone, luminis,
 2 qui certis vicibus tempora dividis,
 3 merso sole chaos ingruit horridum,
 4 lucem redde tuis, Christe, fidelibus !
 5 Quamvis innumero sidere regiam
 6 lunarique polum lampade pinxeris,
 7 incussu silicis lumina nos tamen
 8 monstras saxigeno semine quaerere,
 9 ne nesciret homo spem sibi luminis
 10 in Christi solido corpore conditam,
 11 qui dici stabilem se voluit petram,
 12 nostris igniculis unde genus venit,
 13 pinguis quos olei rore madentibus
 14 lychnis aut facibus pascimus aridis ;
 15 quin et fila favis scirpea floreis
 16 presso melle prius conlita fingimus ;
 17 vivax flamma viget, seu cava testula
 18 sucum linteolo suggerit ebrio,
 19 seu pinus piceam fert alimoniam,
 20 seu ceram teretem stuppa calens bibit ;
 21 nectar de liquido vertice fervidum
 22 guttatim lacrimis stillat olentibus,
 23 ambustum quoniam vis facit ignea
 24 imbrem de madido flere cacumine.
 25 Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
 26 flammis mobilibus scilicet atria,
 27 absentemque diem lux agit aemula,
 28 quam nox cum lacero victa fugit peplo.
 29 Sed quis non rapidi luminis arduam
 30 manantemque Deo cernat originem ?
 31 Moses nempe Deum spinifero in rubo
 32 vidit conspicuo lumine flammeum.
 33 Felix, qui meruit sentibus in sacris
 34 caelestis solii visere principem,
 35 jussus nexa pedum vincula solvere,
 36 ne sanctum involucris pollueret locum.
 37 Hunc ignem populus sanguinis inclyti,
 38 majorum meritis tutus et inpotens,
 39 suetus sub dominis vivere barbaris,
 40 jam liber sequitur longa per avia.
 41 Qua gressum tulerant, castraque caerulae
 42 noctis per medium concita moverant,
 43 plebem pervigilem fulgure praevio

44 ducebat radius sole micantior.
45 Sed rex Niliaci littoris, invido
46 fervens felle, jubet praevvalidam manum
47 in bellum rapidis ire cohortibus,
48 ferratasque acies clangere classicum.
49 Sumunt arma viri, seque minacibus
50 accingunt gladiis ; triste canit tuba ;
51 hic fidit jaculis, ille volantia
52 praefigit calamis spicula Gnosiis.
53 Densetur cuneis turba pedestribus,
54 currus pars et equos et volucres rotas
55 conscendunt celeres, signaque bellica
56 praetendunt tumidis clara draconibus.
57 Hic, jam servitii nescia pristini,
58 gens Pelusiacis usta vaporibus,
59 tandem purpurei gurgitis hospita,
60 rubris litoribus fessa resederat.
61 Hostis dirus adest cum duce perfido,
62 infert et validis proelia viribus ;
63 Moses porro suos in mare praecipit
64 constans intrepidus tendere gressibus.
65 Praebent rupta locum stagna viantibus,
66 riparum in faciem pervia sistitur
67 circumstans vitreis unda liquoribus,
68 dum plebs sub bifido permeat aequore.
69 Pubes quin etiam decolor, asperis
70 inritata odiis, rege sub inpio,
71 Hebraeum sitiens fundere sanguinem,
72 audet se pelago credere concavo.
73 Ibant, praecipiti turbine percita,
74 fluctus per medios agmina regia ;
75 sed confusa dehinc unda revolvitur
76 in semet revolans gurgite confluo.
77 Currus tunc et equos, telaque naufraga,
78 ipsos et proceres, et vaga corpora
79 nigrorum videas nare satellitum,
80 arcis justitium triste tyrannicae.
81 Quae tandem poterit lingua retexere
82 laudes, Christe, tuas, qui domitam Pharon
83 plagis multimodis cedere praesuli
84 cogis justitiae vindice dextera ;
85 qui pontum rapidis aestibus invium
86 persultare vetas, ut refluo in salo
87 securus pateat te duce transitus,
88 et mox unda rapax devoret inpios ;
89 cui jejuna eremi saxa loquacibus
90 exundant scatebris, et latices novos
91 fundit scissa silex, quae sitientibus
92 dat potum populis axe sub igneo ?
93 Instar fellis aqua tristifico in lacu
94 fit ligni venia mel velut Atticum :
95 lignum est, quo sapiunt aspera dulcius ;
96 nam praefixa cruci spes hominum viget.
97 Inplet castra cibus tunc quoque ninguidus,
98 inlabens gelida grandine densius ;
99 his mensas epulis, hac dape construunt,
100 quam dat sidereo Christus ab aethere.
101 Nec non imbrifero ventus anhelitu

102 crassa nube leves invehit alites,
103 quae, difflata in humum cum semel agmina
104 fluxerunt, reduci non revolant fuga.
105 Haec olim patribus praemia contulit
106 insignis pietas numinis unici,
107 cujus subsidio nos quoque vescimur
108 pascentes dapibus pectora mysticis.
109 Fessos ille vocat per freta saeculi,
110 discissis populum turbinibus regens,
111 jactatasque animas mille laboribus
112 justorum in patriam scandere praecipit.
113 Illic, purpureis tecta rosariis,
114 omnis flagrat humus, calthaque pingua
115 et molles violas et tenues crocos
116 fundit fonticulis uda fugacibus.
117 Illic et gracili balsama surculo
118 desudata fluunt, raraque cinnama
119 spirant, et folium, fonte quod abdito
120 praelambens fluvius portat in exitum.
121 Felices animae prata per herbida
122 concentu pariles, suave sonantibus
123 hymnorum modulis, dulce canunt melos,
124 calcant et pedibus lilia candidis.
125 Sunt et spiritibus saepe nocentibus
126 poenarum celebres sub Styge feriae
127 illa nocte, sacer qua rediit Deus
128 stagnis ad superos ex Acherunticis ;
129 non sicut tenebras de face fulgida
130 surgens oceano Lucifer inbuit,
131 sed terris, Domini de cruce tristibus,
132 major sole novum restituens diem.
133 Marcent suppliciis tartara mitibus,
134 exultatque sui carceris otio
135 umbrarum populus liber ab ignibus,
136 nec fervent solito flumina sulphure.
137 Nos festis trahimus per pia gaudia
138 noctem conciliis, votaue prospera
139 certatim vigili congerimus prece,
140 extractoque agimus liba sacrario.
141 Pendent mobilibus lumina funibus,
142 quae suffixa micant per laquearia,
143 et, de languidulis fota natatibus,
144 lucem perspicuo flamma jacet vitro.
145 Credas stelligeram desuper aream
146 ornatam geminis stare trionibus,
147 et, qua bosphoreum temo regit jugum,
148 passim purpureos spargier hesperos.
149 O res digna, Pater, quam tibi roscidae
150 noctis principio grex tuus offerat,
151 lucem, qua tribuis nil pretiosius,
152 lucem, qua reliqua praemia cernimus !
153 Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus ;
154 intus tu speculum, tu speculum foris ;
155 lumen, quod famulans offero, suscipe,
156 tinctum pacifici chrismatis unguine ;
157 per Christum genitum, summe Pater, tuum,
158 in quo visibilis stat tibi gloria,
159 qui noster Dominus, qui tuus unicus

160 spirat de patrio corde Paraclitum ;
 161 per quem splendor, honos, laus, sapientia,
 162 majestas, bonitas, et pietas tua
 163 regnum continuat numine triplici,
 164 texens perpetuis saecula saeculis.

HYMNUS ANTE SOMNUM

C6 v.1 Ades, pater supreme,
 2 quem nemo vidit unquam,
 3 Patrisque sermo Christe,
 4 et Spiritus benigne !
 5 O Trinitatis hujus
 6 vis ac potestas una,
 7 Deus ex Deo perennis,
 8 Deus ex utroque missus !
 9 Fluxit labor diei,
 10 redit et quietis hora ;
 11 blandus sopor vicissim
 12 fessos relaxat artus.
 13 Mens aestuans procellis
 14 curisque sauciata
 15 totis bibit medullis
 16 obliviale poclum.
 17 Serpit per omne corpus
 18 Lethaea vis, nec ullum
 19 miseris doloris aegri
 20 patitur manere sensum.
 21 Lex haec data est caducis
 22 Deo jubente membris,
 23 ut temperet laborem
 24 medicabilis voluptas.
 25 Sed dum pererrat omnes
 26 quies amica venas,
 27 pectusque feriatum
 28 placat rigante somno,
 29 liber vagat per auras
 30 rapido vigore sensus,
 31 variasque per figuras,
 32 quae sunt operta, cernit ;
 33 quia mens soluta curis,
 34 cui est origo caelum,
 35 purusque fons ab aetra,
 36 iners jacere nescit.
 37 Imitata multiformes
 38 facies sibi ipsa fingit,
 39 per quas repente currens
 40 tenui fruatur actu.
 41 Sed sensa somniantum
 42 dispar fatigat horror.
 43 Nunc splendor intererrat
 44 qui dat futura nosse ;
 45 plerumque dissipatis
 46 mendax imago veris
 47 animos pavore maestos
 48 ambage fallit atra.
 49 Quem rara culpa morum

50 non polluit frequenter,
51 hunc lux serena vibrans
52 res edocet latentes ;
53 at qui coinquinatum
54 vitiis cor inpiavit,
55 lusus pavore multo
56 species videt tremendas.
57 Hoc patriarcha noster,
58 sub carceris catena,
59 geminis simul ministris
60 interpretis adprobavit,
61 quorum regressus unus
62 dat poculum tyranno,
63 ast alterum rapaces
64 fixum vorant volucres ;
65 ipsum deinde regem
66 perplexa somniantem
67 monuit famem futuram
68 clausis cavere acervis ;
69 mox praesul ac tetrarches
70 regnum per omne jussus
71 sociam tenere virgam,
72 dominae resedit aulae.
73 O quam profunda justis
74 arcana per soporem
75 aperit tuenda Christus,
76 quam clara, quam tacenda !
77 Evangelista summi
78 fidissimus Magistri,
79 signata quae latebant
80 nebulis videt remotis :
81 ipsum Tonantis agnum,
82 de caede purpurantem,
83 qui conscium futuri
84 librum resignat unus.
85 Hujus manum potentem
86 gladius perarmat anceps,
87 et fulgurans utrimque
88 duplicem minatur ictum.
89 Quaesitor ille solus
90 animaeque corporisque
91 ensisque bis timendus
92 prima ac secunda mors est.
93 Idem tamen benignus
94 ultor retundit iram,
95 paucosque non piorum
96 patitur perire in aevum.
97 Huic inclytus perenne
98 tribuit Pater tribunal ;
99 hunc obtinere jussit
100 nomen supra omne nomen.
101 Hic praepotens cruenti
102 extinctor Antichristi,
103 qui de furente monstro
104 pulchrum refert tropaeum ;
105 quam bestiam capacem
106 populosque devorantem,
107 quam sanguinis Carybdem

108 Johannis exsecratur ;
 109 hanc nempe, quae, sacratum
 110 praeferre nomen ausa,
 111 imam petit gehennam
 112 Christo perempta vero.
 113 Tali sopore justus
 114 mentem relaxat heros,
 115 ut spiritu sagaci
 116 caelum peragret omne.
 117 Nos nil meremur horum,
 118 quos creber inplet error,
 119 concreta quos malarum
 120 vitiat cupido rerum.
 121 Sat est quiete dulci
 122 fessum fovere corpus ;
 123 sat, si nihil sinistrum
 124 vanae minentur umbrae.
 125 Cultor Dei, memento
 126 te fontis et lavacri
 127 rorem subisse sanctum,
 128 te chrismate innotatum.
 129 Fac, cum vocante somno
 130 castum petis cubile,
 131 frontem locumque cordis
 132 crucis figura signet.
 133 Crux pellit omne crimen,
 134 fugiunt crucem tenebrae,
 135 tali dicata signo
 136 mens fluctuare nescit.
 137 Procul, o procul vagantum
 138 portenta somniorum !
 139 Procul esto pervicaci
 140 praestigiator astu !
 141 O tortuose serpens,
 142 qui mille per meandros
 143 fraudesque flexuosas
 144 agitas quieta corda,
 145 discede, Christus hic est,
 146 hic Christus est, liquesce !
 147 Signum, quod ipse nosti,
 148 damnat tuam catervam.
 149 Corpus licet fatiscens
 150 jaceat recline paulum,
 151 Christum tamen sub ipso
 152 meditabimur sopore.

HYMNUS JEJUNANTIUM

C7 v.1 O Nazarene, lux Bethlem, Verbum Patris,
 2 quem partus alvi virginalis protulit,
 3 adesto castis, Christe, parsimoniis,
 4 festumque nostrum rex serenus adspice,
 5 jejuniorum dum litamus victimam !
 6 Nil hoc profecto purius mysterio,
 7 quo fibra cordis expiatur vividi,
 8 intemperata quo domantur viscera,
 9 arvina putrem ne resudans crapulam

10 obstrangulatae mentis ingenium premat.
11 Hinc subjugatur luxus et turpis gula,
12 vini atque somni degener socordia,
13 libido sordens, inverecundus lepos,
14 variaequae pestes languidorum sensuum
15 parcam subactae disciplinam sentiunt.
16 Nam si licenter diffluens potu et cibo
17 jejuna rite membra non coerceas,
18 sequitur frequenti marcida oblectamine
19 scintilla mentis ut tepescat nobilis,
20 animusque pigris stertat in praecordiis.
21 Frenentur ergo corporum cupidines,
22 detersa et intus emicet prudentia ;
23 sic excitato perspicax acumine
24 liberque flatu laxiore spiritus
25 rerum parentem rectius precabitur.
26 Helia tali crevit observantia,
27 vetus sacerdos, ruris hospes aridi,
28 fragore ab omni quem remotum et segregem
29 sprevisse tradunt criminum frequentiam,
30 casto fruentem syrtium silentio.
31 Sed mox in auras igneis jugalibus
32 curruque raptus evolavit praepete,
33 ne de propinquo sordium contagio
34 dirus quietum mundus adflaret virum
35 olim probatis inclytum jejuniis.
36 Non ante caeli principem septemplex
37 Moses, tremendi fidus interpres throni,
38 potuit videre, quam decem recursibus
39 quater volutis sol peragrans sidera
40 omni carentem cerneret substantia.
41 Victus precanti solus in lacrimis fuit ;
42 nam flendo pernox inrigatum pulverem
43 humi madentis ore pressit cernuo,
44 donec, loquentis voce praestriatus Dei,
45 expavit ignem non ferendum visibus.
46 Johannis, hujus artis hand minus potens,
47 Dei perennis praecucurrit filium,
48 curvos viarum qui retorsit tramites
49 et, flexuosa conrigens dispendia,
50 dedit sequendam calle recto lineam.
51 Hanc obsequellam praeparabat nuntius,
52 mox adfuturo construens iter Deo,
53 clivosa planis, confragosa ut lenibus
54 converterentur, neve quidquam devium
55 inlapsa terris inveniret Veritas.
56 Non usitatis ortus his natalibus :
57 oblita lactis jam vieto in pectore
58 matris tetendit serus infans ubera,
59 nec ante partu de senili effusus est
60 quam praedicaret virginem plenam Deo.
61 Post in patentes ille solitudines,
62 amictus hirtis bestiarum pellibus
63 saetisve tectus hispida et lanugine,
64 secessit, horrens inquinari et pollui
65 contaminatis oppidorum moribus.
66 Illic dicata parcus abstinentia
67 potum cibumque vir severae industriae

68 in usque serum respuebat vesperum,
69 parvum lucustis et favorum agrestium
70 liquore pastum corpori suetus dare.
71 Hortator ille primus et doctor novae
72 fuit salutis ; nam sacrato in flumine
73 veterum piatas lavit errorum notas ;
74 sed tincta postquam membra defaecaverat,
75 caelo refulgens influebat Spiritus.
76 Hoc ex lavacro labe dempta criminum
77 ibant renati, non secus quam si rudis
78 auri recocta vena pulchrum splendeat,
79 micet metalli sive lux argentei,
80 sudum polito praenitens purgamine.
81 Referre prisca stemma nunc jejunii
82 libet fideli proditum volumine,
83 ut diruendae civitatis incolis
84 fulmen benigni mansuefactum Patris
85 pie repressis ignibus pepercerit.
86 Gens insolenti praepotens jactantia
87 pollebat olim, quam fluentem nequiter
88 corrupta vulgo solverat lascivia,
89 et inde bruto contumax fastidio
90 cultum Superni neglegebat Numinis.
91 Offensa tandem jugis indulgentiae
92 censura justis excitatur motibus ;
93 dextram perarmat rhompheali incendio ;
94 nimbos crepantes et fragosos turbines
95 vibrans tonantum nube flammaram quatit.
96 Sed paenitendi dum datur diecula,
97 si forte vellent improbam libidinem
98 veteresque nugas condomare ac frangere,
99 suspendit ictum terror exorabilis,
100 paulumque dicta substitit sententia.
101 Jonam prophetam mitis Ultor excitat,
102 poenae imminentis iret ut praenuntius ;
103 sed nosset ille qui minacem judicem
104 servare malle quam ferire ac plectere,
105 tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
106 Celsam paratis pontibus scandit ratem ;
107 udo revincta fune puppis solvitur ;
108 itur per altum ; fit procellosum mare ;
109 tum causa tanti quaeritur periculi ;
110 sors in fugacem missa vatem decidit.
111 Jussus perire solus e cunctis reus,
112 cujus voluta crimen urna expresserat,
113 praeceps rotatur et profundo inmergitur ;
114 exceptus inde beluinae faucibus
115 alvi capacis vivus hauritur specu.
116 Transmissa raptim praeda cassos dentium
117 eludit ictus, incruentam transvolans
118 inpune linguam ; ne retentam mordicus
119 offam molares disseccarent uvidi,
120 os omne transit et palatum praeterit.
121 Ternis dierum ac noctium processibus
122 mansit ferino devoratus gutture ;
123 errabat illic per latebras viscerum,
124 ventris meandros circumibat tortiles,
125 anhelus extis intus aestuantibus.

126 Intactus exim tertiae noctis vice
127 monstri vomentis pellitur singultibus,
128 qua murmuranti fine fluctus frangitur
129 salsosque candens spuma tundit pumices ;
130 ructatus exit seque servatum stupet.
131 In Ninevitas se coactus percito
132 gressu reflectit, quos ut increpaverat,
133 pudenda censor inputans opprobria :
134 "Inpendet", inquit, "ira Summi Vindicis,
135 urbemque flamma mox cremabit, credite ! "
136 Apicem deinceps ardui montis petit,
137 visurus inde conglobatum turbidae
138 fumum ruinae, cladis et dirae struem,
139 tectus flagellis multinodis germinis,
140 nato et repente perfruens umbraculo.
141 Sed maesta postquam civitas vulnus novi
142 hausit doloris, heu, supremum palpitat :
143 cursant per ampla congregatim moenia
144 plebs et senatus, omnis aetas civium,
145 pallens juvenus, hejulantes feminae.
146 Placet frementem publicis jejuniis
147 placare Christum ; mos edendi spernitur ;
148 glaucos amictus induit monilibus
149 matrona demptis, proque gemma et serico
150 crinem fluentem sordidus spargit cinis.
151 Squalent recincta veste bullati patres,
152 saetasque plangens turba sumit textiles ;
153 inpexa villis virgo bestialibus
154 nigrante vultum contegit velamine,
155 jacens harenis et puer provolvitur.
156 Rex ipse Coos aestuantem murices
157 laenam revulsa dissipabat fibula,
158 gemmas virentes et lapillos sutiles,
159 insigne frontis exuebat vinculum,
160 turpi capillos inpeditus pulvere.
161 Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
162 jejuna mensas pubis omnis liquerat,
163 quin et negato lacte vagientium
164 fletu madescunt parvulorum cunulae,
165 sucum papillae parca nutrix derogat.
166 Greges et ipsos claudit armentalium
167 sollers virorum cura, ne vagum pecus
168 contingat ore rorulenta gramina,
169 potum strepentis neve fontis hauriat,
170 vacuis querelae personant praesepibus.
171 Mollitus his et talibus brevem Deus
172 iram refrenat, temperans oraculum
173 prosper sinistrum ; prona nam clementia
174 haud difficulter supplicem mortalium
175 solvit reatum, fitque faulrix flentium.
176 Sed cur vetustae gentis exemplum loquor,
177 pridem caducis cum gravatus artubus
178 Jesus dicato corde jejunaverit,
179 praenuncupatus ore qui prophético
180 Emmanuel est sive "nobiscum Deus",
181 qui corpus istud molle naturaliter
182 captumque laxo sub voluptatum jugo,
183 virtutis arta lege fecit liberum,

184 emancipator servientis plasmatis,
 185 regnantis ante victor et cupidinis ?
 186 Inhospitali namque secretus loco
 187 quinis diebus octies labentibus
 188 nullam ciborum vindicavit gratiam,
 189 firmans salubri scilicet jejunio
 190 vas adpetendis inbecillum gaudiis.
 191 Miratus hostis posse limum tabidum
 192 tantum laboris sustinere ac perpeti,
 193 explorat arte sciscitator callida,
 194 Deusne membris sit receptus terreis ;
 195 sed increpata fraude post tergum ruit.
 196 Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
 197 quod consecrati tu magister dogmatis
 198 tuis dedisti, Christe, sectatoribus,
 199 ut, cum vorandi vicerit libidinem,
 200 late triumphet imperator spiritus.
 201 Hoc est, quod atri livor hostis invidet,
 202 mundi polique quod Gubernator probat,
 203 altaris aram quod facit placabilem,
 204 quod dormientis excitat cordis fidem,
 205 quod limat aegram pectoris rubiginem.
 206 Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
 207 nec sic calente sole tabescunt nives,
 208 ut turbidarum scabra culparum seges
 209 vanescit almo trita sub jejunio,
 210 si blanda semper misceatur largitas.
 211 Est quippe et illud grande virtutis genus :
 212 operire nudos, indigentes pascere,
 213 opem benignam ferre supplicantibus,
 214 unam paremque sortis humanae vicem
 215 inter potentes atque egenos ducere.
 216 Satis beatus, quisque dextram porrigit
 217 laudis rapacem, prodigam pecuniae,
 218 cujus sinistra dulce factum nesciat ;
 219 illum perennes protinus complent opes,
 220 ditatque fructus faenerantem centuplex.

HYMNUS POST JEJUNIUM

C8 v.1 Christe, servorum regimen tuorum,
 2 mollibus qui nos moderans habenis
 3 leniter frenas facillique saeptos
 4 lege coerces,
 5 ipse cum portans onus inpeditum
 6 corporis duros tuleris labores,
 7 major exemplis famulos remisso
 8 dogmate palpas.
 9 Nona submissum rotat hora solem ;
 10 partibus vixdum tribus evolutis,
 11 quarta devexo superest in axe
 12 portio lucis ;
 13 nos brevis voti dape vindicata
 14 solvimus festum, fruimurque mensis
 15 adfatim plenis, quibus inbuatur
 16 prona voluptas.
 17 Tantus aeterni favor est Magistri,

18 doctor indulgens ita nos amico
19 lactat hortatu, levis obsequela ut
20 mulceat artus.
21 Addit et, ne quis velit invenusto
22 sordidus cultu lacerare frontem,
23 sed decus vultus capitisque pexum
24 comat honorem :
25 "Terge jejunans", ait, "omne corpus,
26 neve subducto faciem rubore
27 luteus tinguat color aut notetur
28 Pallor in ore."
29 Rectius laeto tegimus pudore
30 quidquid ad cultum Patris exhibemus ;
31 cernit occultum Deus et latentem
32 munere donat.
33 Ille ovem morbo residem gregique
34 perditam sano, male dissipantem
35 vellus adfixis vepribus per hirtae
36 devia silvae,
37 inpiger Pastor revocat, lupisque
38 gestat exclusis humeros gravatus ;
39 inde purgatam revehens aprico
40 reddit ovili ;
41 reddit et pratis viridique campo,
42 vibrat inpexis ubi nulla lappis
43 spina, nec germen sudibus perarmat
44 carduus horrens,
45 sed frequens palmis nemus et reflexa
46 vernat herbarum coma, tum perennis
47 gurgitem vivis vitreum fluentis
48 laurus obumbrat.
49 Hisce pro donis tibi, fide Pastor,
50 servitus quaenam poterit rependi ?
51 Nulla compensant pretium salutis
52 vota precantum.
53 Quamlibet spreto sine more pastu
54 sponte confectos tenuemus artus,
55 teque contemptis epulis rogemus
56 nocte dieque,
57 vincitur semper minor obsequentum
58 cura, nec munus genitoris aequat ;
59 frangit et cratem luteam laboris
60 grandior usus.
61 Ergo, ne limum fragilem solutae
62 deserant vires et aquosus albis
63 umor in venis dominetur aegrum
64 corpus enervans,
65 laxis ac liber modus abstinendi
66 ponitur cunctis, neque nos severus
67 terror inpellit ; sua quemque cogit
68 velle potestas.
69 Sufficit, quidquid facias, vocato
70 Numinis nutu prius inchoare,
71 sive tu mensam renuas, cibumve
72 sumere temptes.
73 Adnuit dexter Deus, et secundo
74 prosperat vultu, velut hoc salubre
75 fidimus nobis fore, quod dicatas

76 carpimus escas.
 77 Sit bonum, supplex precor, et medellam
 78 conferat membris, animumque pascat
 79 sparsus in venas cibus obsecrantum
 80 christicolarum.

HYMNUS OMNIS HORAE

C9 v.1 Da puer plectrum, choreis ut canam fidelibus
 2 dulce carmen et melodum, gesta Christi insignia !
 3 Hunc camena nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
 4 Christus est, quem Rex sacerdos adfuturum protinus
 5 infulatus concinebat voce, chorda et tympano,
 6 spiritum caelo influentem per medullas hauriens.
 7 Facta nos et jam probata pangimus miracula ;
 8 testis orbis est, nec ipsa terra quod vidit negat ;
 9 comminus Deum docendis proditum mortalibus.
 10 Corde natus ex Parentis, ante mundi exordium,
 11 Alpha et Om cognominatus, ipse fons et clausula
 12 omnium, quae sunt, fuerunt, quaeque post futura sunt.
 13 Ipse jussit, et creata, dixit ipse, et facta sunt
 14 terra, caelum, fossa ponti, trina rerum machina,
 15 quaeque in his vigent sub alto solis et lunae globo.
 16 Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
 17 induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
 18 merserat quam lex profundo noxialis tartaro.
 19 O beatus ortus ille, Virgo cum puerpera
 20 edidit nostram salutem feta Sancto Spiritu,
 21 Et Puer Redemptor orbis os sacratum protulit !
 22 Psallat altitudo caeli, psallite, omnes angeli ;
 23 quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei ;
 24 nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet !
 25 Ecce, quem vates vetustis concinebant saeculis,
 26 quem prophetarum fideles paginae sponponderant ;
 27 emicat promissus olim, cuncta conlaudent eum !
 28 Cantharis infusa lymphæ fit Falernum nobile ;
 29 nuntiat vinum minister esse promptum ex hydria ;
 30 ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.
 31 "Membra morbis ulcerosa, viscerum putredines
 32 mando ut abluantur", inquit ; fit ratum, quod jusserat ;
 33 turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.
 34 Tu perennibus tenebris jam sepulta lumina
 35 inlinis limo salubri sacri et oris nectare ;
 36 mox apertis hac medella lux reducta est orbibus.
 37 Increpas ventum furentem, quod procellis tristibus
 38 vertat aequor fundo ab imo, vexet et vagam ratem ;
 39 ille jussis obsecundat, mitis unda sternitur.
 40 Extimum vestis sacratae furtim mulier attigit ;
 41 protinus salus secuta est : ora pallor deserit,
 42 sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti.
 43 Exitu dulcis juventae raptum ephebum viderat,
 44 orba quem mater supremis funerabat fletibus ;
 45 "Surge", dixit ; ille surgit, matri et adstans redditur.
 46 Sole jam quarto carentem, jam sepulcro absconditum
 47 Lazarum jubet vigere reddito spiramine :
 48 foetidum jecur reductus rursus intrat halitus.
 49 Ambulat per stagna ponti, summa calcatur fluctuum ;

50 mobilis liquor profundi pendulam praestat viam,
51 nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
52 Suetus antro bustuali sub catenis frendere,
53 mentis inpos efferatis percitus furoribus
54 prosilit ruitque supplex, Christum adesse ut senserat.
55 Pulsa pestis lubricorum milleformis daemonum
56 corripit gregis suilli sordida spurcamina,
57 seque nigris mergit undis et pecus lymphaticum.
58 Ferte qualis ter quaternis ferculorum fragmina !
59 Adfatim refecta jam sunt adcubantum milia
60 quinque panibus peresis et gemellis piscibus.
61 Tu cibus panisque noster, tu perennis suavitas ;
62 nescit esurire in aevum, qui tuam sumit dapem,
63 nec lacunam ventris inplet, sed fovet vitalia.
64 Clausus aurium meatus et sonorum nescius
65 purgat ad praecepta Christi crassa quaeque obstacula,
66 vocibus capax fruendis ac susurris pervius.
67 Omnis aegritudo cedit, languor omnis pellitur ;
68 lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia,
69 gestat et suum per urbem laetus aeger lectulum.
70 Quin et ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
71 tartarum benignus intrat ; fracta cedit janua,
72 vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis.
73 Illa prompta ad inruentes, ad revertentes tenax,
74 obice extrorsum repulso, porta reddit mortuos,
75 lege versa et limen atrum jam recalcandum patet.
76 Sed Deus dum luce fulva mortis antra inluminat,
77 dum stupentibus tenebris candidum praestat diem,
78 tristia squalentis aetrae palluerunt sidera.
79 Sol refugit et, lugubri sordidus ferrugine,
80 igneum reliquit axem, seque maerens abdidit ;
81 fertur horruisse mundus noctis aeternae chaos.
82 Solve vocem, mens, sonoram, solve linguam mobilem ;
83 dic tropaeum passionis, dic triumphalem crucem ;
84 pange vexillum, notatis quod refulget frontibus !
85 O novum caede stupenda vulneris miraculum !
86 Hinc cruoris fluxit unda, lympa parte ex altera ;
87 lympa nempe dat lavacrum, tum corona ex sanguine est.
88 Vidit anguis inmolatam corporis sacri hostiam ;
89 vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
90 saucius dolore multo, colla fractus sibila.
91 Quid tibi, profane serpens, profuit, rebus novis
92 plasma primum perculisse versipelli astutia ?
93 Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
94 Ad brevem se mortis usum dux salutis dedit,
95 mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
96 dissolutis pristinatorum vinculis peccaminum.
97 Tunc patres sanctique multi, conditorem praeivum
98 jam revertentem secuti tertio demum die,
99 carnis indumenta sumunt eque bustis prodeunt.
100 Cerneret coire membra de favillis aridis,
101 frigidum venis resumtis pulverem tepescere,
102 ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.
103 Post, ut occasum resolvit, vitae et hominem reddidit,
104 arduum tribunal alti victor adscendit Patris,
105 inclytam caelo reportans Passionis gloriam.
106 Macte Judex mortuorum, macte Rex viventium,
107 dexter in Parentis arce qui cluis virtutibus

108 omnium venturus inde justus ultor criminum !
 109 Te senes et te juvenus, parvulorum te chorus,
 110 turba matrum virginumque, simplices puellulae,
 111 voce concordēs pudicis perstrepat concentibus !
 112 Fluminum lapsus et undae, litorum crepidines,
 113 imber, aestus, nix, pruina, silva, et aura, nox, dies,
 114 omnibus te concelebrent saeculorum saeculis !

HYMNUS CIRCA EXSEQUIAS DEFUNCTI

C10 v.1 Deus, ignee fons animarum,
 2 duo qui socians elementa,
 3 vivum simul ac moribundum,
 4 hominem, Pater, effigiasti,
 5 tua sunt, tua, rector, utraque,
 6 tibi copula jungitur horum,
 7 tibi, dum vegetata cohaerent,
 8 et spiritus et caro servit.
 9 Resoluta sed ista seorsum
 10 proprios revocantur in ortus :
 11 petit halitus aera fervens,
 12 humus excipit arida corpus.
 13 Sic cuncta creata necesse est
 14 obitum tolerare supremum,
 15 ut semina dissociata
 16 sibi sumat origo resorbens.
 17 Hanc tu, Deus optime, mortem
 18 famulis abolere paratus,
 19 iter inviolabile monstras
 20 quo perdita membra resurgant,
 21 ut, dum generosa caducis
 22 ceu carcere clausa ligantur,
 23 pars illa potentior extet,
 24 quae germen ab aethere traxit.
 25 Si terrea forte voluntas
 26 luteum sapit et grave captat,
 27 animus quoque pondere victus
 28 sequitur sua membra deorsum ;
 29 at si generis memor ignis
 30 contagia pigra recuset,
 31 vehit hospita viscera secum,
 32 pariterque reportat ad astra.
 33 Nam quod requiescere corpus
 34 vacuum sine mente videmus,
 35 spatium breve restat, ut alti
 36 repetat collegia sensus.
 37 Venient cito saecula cum jam
 38 socius calor ossa revisat,
 39 animataque sanguine vivo
 40 habitacula pristina gestet.
 41 Quae pigra cadavera pridem
 42 tumulis putrefacta jacebant,
 43 volucres rapiuntur in auras
 44 animas comitata priores.
 45 Hinc maxima cura sepulcris
 46 inpenditur, hinc resolutos
 47 honor ultimus accipit artus,

48 et funeris ambitus ornat ;
49 candore nitentia claro
50 praetendere lintea mos est,
51 adpersaque myrra Sabaeo
52 corpus medicamine servat.
53 Quidnam sibi saxa cavata,
54 quid pulchra volunt monumenta,
55 nisi quod res creditur illis
56 non mortua, sed data somno ?
57 Hoc provida christicolarum
58 pietas studet, utpote credens
59 fore protinus omnia viva,
60 quae nunc gelidus sopor urget.
61 Qui jacta cadavera passim
62 miserans tegit aggere terrae,
63 opus exhibet ille benignum
64 Christo pius omnipotenti ;
65 quia lex eadem monet omnes
66 gemitum dare sorte sub una,
67 cognataque funera nobis
68 aliena in morte dolere.
69 Sancti sator ille Tobiae,
70 sacer ac venerabilis heros,
71 dapibus jam rite paratis
72 jus praetulit exequiarum :
73 jam stantibus ille ministris
74 cyathos et fercula liquit,
75 studioque accinctus humandi,
76 fleto dedit ossa sepulcro.
77 Veniunt mox praemia caelo,
78 pretiumque rependitur ingens ;
79 nam lumina nescia solis
80 Deus inlita felle serenat.
81 Jam tunc docuit Pater orbis,
82 quam sit rationis egenis
83 mordax et amara medella,
84 cum lux animum nova vexat ;
85 docuit quoque non prius ullum
86 caelestia cernere regna,
87 quam nocte et vulnere tristi
88 toleraverit aspera mundi.
89 Mors ipsa beatior inde est,
90 quod per cruciamina leti
91 via panditur ardua justis,
92 et ad astra doloribus itur.
93 Sic corpora mortificata
94 redeunt melioribus annis,
95 nec post obitum recalescens
96 conpago fatiscere novit.
97 Haec quae modo pallida tabo
98 color albidus inficit ora,
99 tunc, flore venustior omni,
100 sanguis cute tinget amoena.
101 Jam nulla deinde senectus
102 frontis decus invida carpet,
103 macies neque sicca lacertos
104 suco tenuabit adeso.
105 Morbus quoque pestifer, artus

106 qui nunc populatur anhelos,
107 sua tunc tormenta resudans
108 luet inter vincula mille.
109 Hunc eminus aere ab alto
110 victrix caro jamque perennis
111 cernet sine fine gementem
112 quos moverat ipse dolores.
113 Quid turba superstes inepta
114 clangens ululamina miscet ?
115 Cur tam bene condita jura
116 luctu dolor arguit amens ?
117 Jam maesta quiesce querella ;
118 lacrimas suspendite matres !
119 Nullus sua pignora plangat :
120 mors haec reparatio vitae est.
121 Sic semina sicca virescunt
122 jam mortua jamque sepulta,
123 quae reddita caespite ab imo
124 veteres meditantur aristas.
125 Nunc suscipe, terra, fovendum,
126 gremioque hunc concipe molli !
127 Hominis tibi membra sequestro,
128 generosa et fragmina credo.
129 Animae fuit haec domus olim,
130 cui nobilis ex Patre fons est,
131 fervens habitavit in istis
132 sapientia principe Christo.
133 Tu depositum tege corpus ;
134 non inmemor illa requiret
135 sua munera fictor et auctor,
136 propriique enigmata vultus.
137 Veniant modo tempora justa,
138 cum spem Deus inpleat omnem,
139 reddas patefacta necesse est,
140 qualem tibi trado figuram.
141 Non, si cariosa vetustas
142 dissolverit ossa favillis,
143 fueritque cinisculus arens
144 minimi mensura pugilli,
145 nec, si vaga flamina et aerae,
146 vacuum per inane volantes,
147 tulerint cum pulvere nervos,
148 hominem periisse licebit.
149 Sed dum resolubile corpus
150 revocas, Deus, atque reformas,
151 quanam regione jubebis
152 animam requiescere puram ?
153 Gremio senis addita sancti
154 recubabit, ut est Eleazar,
155 quem floribus undique septum
156 dives procul adspicit ardens.
157 Sequimur tua dicta, Redemptor,
158 quibus atra morte triumphans
159 tua per vestigia mandas
160 socium crucis ire latronem.
161 Patet ecce fidelibus ampli
162 via lucida jam paradisi,
163 licet et nemus illud adire,

164 homini quod ademerat anguis.
 165 Illic, precor, optime Ductor,
 166 famulam tibi praecipe mentem
 167 genitali in sede sacrari,
 168 quam liquerat exul et errans.
 169 Nos tecta fovebimus ossa
 170 violis et fronde frequenti,
 171 titulumque et frigida saxa
 172 liquido spargemus odore.

HYMNUS OCTAVO CALENDAS JANUARIAS

C11 v.1 Quid est, quod artum circulum
 2 sol jam recurrens deserit ?
 3 Christusne terris nascitur,
 4 qui lucis auget tramitem ?
 5 Heu, quam fugacem gratiam
 6 festina volvebat dies ;
 7 quam pene subductam facem
 8 sensim recisa extinxerat !
 9 Caelum nitescat laetius,
 10 gratetur et gaudens humus :
 11 scandit gradatim denuo
 12 jubar priores lineas.
 13 Emerge, dulcis pusio,
 14 quem mater edit castitas,
 15 parens et expers conjugis,
 16 mediator et duplex genus !
 17 Ex ore quamlibet Patris
 18 sis ortus et Verbo editus,
 19 tamen paterno in pectore
 20 Sophia callebas prius,
 21 quae prompta caelum condidit,
 22 caelum diemque et cetera :
 23 virtute Verbi effecta sunt
 24 haec cuncta ; nam Verbum Deus.
 25 Sed ordinatis seculis
 26 rerumque digesto statu,
 27 fundator ipse et artifex
 28 permansit in Patris sinu,
 29 donec rotata annalium
 30 transvolverentur milia,
 31 atque ipse peccantem diu
 32 dignatus orbem viseret.
 33 Nam caeca vis mortalium,
 34 venerans inanes nenias,
 35 vel aera vel saxa algida
 36 vel ligna credebat Deum.
 37 Haec dum sequuntur, perfidi,
 38 praedonis in jus venerant,
 39 et mancipatam fumido
 40 vitam barathro inmerserant.
 41 Stragem sed istam non tulit
 42 Christus cadentum gentium ;
 43 inpune ne forsani sui
 44 Patris periret fabrica,
 45 mortale corpus induit,

46 ut excitato corpore
47 mortis catenam frangeret,
48 hominemque portaret Patri.
49 Hic ille natalis dies,
50 quo te Creator arduus
51 spiravit et limo indidit,
52 Sermone carnem glutinans.
53 Sentisne, virgo nobilis,
54 matura per fastidia
55 pudoris intactum decus
56 honore partus crescere ?
57 O quanta rerum gaudia
58 alvus pudica continet,
59 ex qua novellum saeculum
60 procedit et lux aurea !
61 Vagitus ille exordium
62 vernantis orbis prodidit ;
63 nam tunc renatus sordidum
64 mundus veterum depulit.
65 Sparsisse tellurem reor
66 rus omne densis floribus,
67 ipsasque arenas Syrtium
68 flagrasse nardo et nectare.
69 Te cuncta nascentem puer
70 sensere dura et barbara,
71 victusque saxorum rigor
72 obduxit herbam cotibus.
73 Jam mella de scopulis fluunt,
74 jam stillat ilex arido
75 sudans amomum stipite,
76 jam sunt myricis balsama.
77 O sancta praesepis tui,
78 aeterne Rex, cunabula,
79 populisque per saeculum sacra,
80 mutis et ipsis credita !
81 Adorat haec brutum pecus
82 indocta turba scilicet,
83 adorat excors natio,
84 vis cujus in pastu sita est.
85 Sed cum fideli spiritu
86 concurrat ad praesepia
87 pagana gens et quadrupes,
88 sapiatque quod brutum fuit,
89 negat patrum prosapia
90 perosa praesentem Deum ;
91 credas venenis ebriam
92 furiisve lymphatam rapi.
93 Quid prona per scelus ruis ?
94 Agnosce, si quidquam tibi
95 mentis resedit integrae,
96 ducem tuorum principum !
97 Hunc, quem latebra et obstetrix
98 et virgo feta et cunulae
99 et inbecilla infantia
100 regem dederunt gentibus,
101 peccator intueberis
102 celsum coruscis nubibus,
103 dejectus ipse et inritis

104 plangens reatum fletibus,
 105 cum vasta signum bucina
 106 terris cremandis miserit,
 107 et scissus axis cardinem
 108 mundi ruentis solverit.
 109 Insignis ipse et praeminens
 110 meritis rependet congrua,
 111 his lucis usum perpetis,
 112 illis gehennam et tartarum.
 113 Judaea tunc fulmen crucis
 114 experta, qui sit, senties
 115 quem te furoris praesule,
 116 mors hausit et mox reddidit.

HYMNUS EPIPHANIAE

C12 v.1 Quicumque Christum quaeritis,
 2 oculos in altum tollite !
 3 Illic licebit visere
 4 Signum perennis gloriae.
 5 Haec stella, quae solis rotam
 6 vincit decore ac lumine,
 7 venisse terris nuntiat
 8 cum carne terrestri Deum.
 9 Non illa servit noctibus
 10 secuta lunam menstruam,
 11 sed sola caelum possidens
 12 cursum dierum temperat.
 13 Arctoa quamvis sidera
 14 in se retortis motibus
 15 obire nolint, adtamen
 16 plerumque sub nimbis latent.
 17 Hoc sidus aeternum manet,
 18 haec stella nunquam mergitur,
 19 nec nubis occursu abdita
 20 obumbrat obductam facem.
 21 Tristis cometa intercidat,
 22 et, si quod astrum Sirio
 23 fervet vapore, jam Dei
 24 sub luce destructum cadat.
 25 En, Persici ex orbis sinu,
 26 sol unde sumit januam,
 27 cernunt periti interpretes
 28 regale vexillum Magi.
 29 Quod ut refulsit, ceteri
 30 cessere signorum globi,
 31 nec pulcher est ausus suam
 32 conferre formam Lucifer.
 33 "Quis iste tantus", inquiunt,
 34 "regnator astris imperans,
 35 quem sic tremunt caelestia,
 36 cui lux et aethra inserviunt ?
 37 Inlustre quiddam cernimus,
 38 quod nesciat finem pati,
 39 sublime, celsum, interminum,
 40 antiquius caelo et chao.
 41 Hic ille rex est gentium

42 populique rex Judaici,
43 promissus Abrahae patri
44 ejusque in aevum semini.
45 Aequanda nam stellis sua
46 cognovit olim germina
47 primus sator credentium,
48 nati inmolator unici.
49 Jam flos subit Davidicus,
50 radice Jessaea editus,
51 sceptrique per virgam virens
52 rerum cacumen occupat."
53 Exim sequuntur perciti
54 fixis in altum vultibus,
55 qua stella sulcum traxerat
56 claramque signabat viam.
57 Sed verticem pueri supra
58 signum pependit inminens,
59 pronaque submissum face
60 caput sacratum prodidit.
61 Videre quod postquam Magi,
62 Eoa promunt munera,
63 stratique votis offerunt
64 tus, myrram, et aurum regium.
65 Agnosce clara insignia
66 virtutis ac regni tui,
67 Puer o cui trinam Pater
68 praedestinavit indolem :
69 regem Deumque adnuntiant
70 thesaurus et fragrans odor
71 turis Sabaei, ac myrreus
72 pulvis sepulcrum praedocet.
73 Hoc est sepulcrum quo Deus,
74 dum corpus extingui sinit
75 atque id sepultum suscitatur,
76 mortis refregit carcerem.
77 O sola magnarum urbium
78 major Bethlem, cui contigit
79 ducem salutis caelitus
80 incorporatum gignere !
81 Altrice te summo Patri
82 heres creatur unicus,
83 homo ex Tonantis spiritu,
84 idemque sub membris Deus.
85 Hunc et prophetis testibus
86 hisdemque signatoribus,
87 testator et sator jubet
88 adire regnum et cernere,
89 regnum, quod ambit omnia,
90 dia et marina et terrea
91 a solis ortu ad exitum
92 et tartara et caelum supra.
93 Audit tyrannus anxius
94 adesse regum principem,
95 qui nomen Israel regat
96 teneatque David regiam.
97 Exclamat amens nuntio :
98 "Successor instat, pellimur ;
99 satellites i, ferrum rape,

100 perfunde cunas sanguine !
101 Mas omnis infans occidat,
102 scrutare nutricum sinus,
103 interque materna ubera
104 ensem cruentet pusio.
105 Suspecta per Bethlem mihi
106 puerperarum est omnium
107 fraus, ne qua furtim subtrahat
108 prolem virilis indolis."
109 Transfigit ergo carnifex
110 mucrone destricto furens
111 effusa nuper corpora,
112 animasque rimatur novas ;
113 locum minutis artubus
114 vix interemptor invenit,
115 quo plaga descendat patens
116 juguloque major pugio est.
117 O barbarum spectaculum !
118 Inlisa cervix cautibus
119 spargit cerebrum lacteum,
120 oculosque per vulnus vomit ;
121 aut in profundum palpitans
122 mersatur infans gurgitem,
123 cui subter artis faucibus
124 singultat unda et halitus.
125 Salvete, flores martyrum,
126 quos lucis ipso in limine
127 Christi insecutor sustulit,
128 ceu turbo nascentes rosas !
129 Vos, prima Christi victima,
130 grex inmolatorum tener,
131 aram ante ipsam simplices
132 palma et coronis luditis.
133 Quo proficit tantum nefas,
134 quid crimen Herodem juvat ?
135 Unus tot inter funera
136 inpune Christus tollitur.
137 Inter coevis sanguinis
138 fluenta solus integer
139 ferrum, quod orbabat nurus,
140 partus fefellit virginis.
141 Sic stulta Pharaonis mali
142 edicta quondam fugerat
143 Christi figuram praeferens
144 Moses, receptor civium.
145 Cautum et statutum jus erat,
146 quo non liceret matribus,
147 cum pondus alvi absolverent,
148 puerile pignus tollere.
149 Mens obstetricis sedulae,
150 pie in tyrannum contumax,
151 ad spem potentis gloriae
152 furata servat parvulum,
153 quem mox sacerdotem sibi
154 adsumpsit orbis conditor,
155 per quem notatam saxeis
156 legem tabellis traderet.
157 Licetne Christum noscere

158 tanti per exemplum viri ?
159 Dux ille caeso Aegyptio
160 absolvit Israel jugo ;
161 at nos subactos jugiter
162 erroris inperio gravi
163 Dux noster hoste saucio
164 mortis tenebris liberat.
165 Hic expiatam fluctibus
166 plebem marino in transitu
167 repurgat undis dulcibus,
168 lucis columnam praeferens.
169 Hic proeliante exercitu,
170 pansis in altum bracchiis
171 sublimis Amalec premit,
172 crucis quod instar tunc fuit.
173 Hic nempe Jesus verior,
174 qui longa post dispendia
175 victor suis tribulibus
176 promissa solvit jugera,
177 qui ter quaternas denique
178 refluentis amnis alveo
179 fundavit et fixit petras,
180 apostolorum stemmata.
181 Jure ergo se Judae ducem
182 vidisse testantur magi,
183 cum facta priscorum ducum
184 Christi figuram pinxerint.
185 Hic rex priorum judicum,
186 rexere qui Jacob genus,
187 dominaeque rex ecclesiae,
188 templi et novelli et pristini.
189 Hunc posterum Efrem colunt,
190 hunc sancta Manasse domus,
191 omnesque suspiciunt tribus
192 bis sena fratrum semina.
193 Quin et propago degener
194 ritum secuta inconditum,
195 quaecumque dirum fervidis
196 Bahal caminis coxerat,
197 fumosa avorum numina
198 saxum, metallum, stipitem,
199 rasum, dolatum, sectile,
200 in Christi honorem deserit.
201 Gaudete, quidquid gentium est,
202 Judaea, Roma, et Graecia,
203 Aegypte, Thrax, Persa, Scythia :
204 rex unus omnes possidet.
205 Laudate vestrum principem
206 omnes beati ac perditi,
207 vivi, inbecilli ac mortui :
208 jam nemo posthac mortuus.